Epistola 261. GULIELMO ANSLARIO IOHANNES COCCEJUS. 363

Mi Carissime fili.

Disputationes, quas accepi à Nicolao, jam confido te recepisse. Memini enim misisse. Aut forte erunt in domo patris tui: Nam ego non reperio. Emi in auctione aliquos libros pro te. Caeteros non potui nancisci. Theol. 8° num. 344 — fl 1-8
Hos jam mitto. Addidi Catalogum, quod Leffen à me petiit. 345 — fl 1-2
Trias — 0-6
2-10

Uxor tua scripsit de butyro. Emet mater. Sed ea sine desiderat, uti etiam mater tua butyrum pro se cui desiderat, parata ei operam navare. D. Heidanus apud nos 3. Octob. est concionatus plerisque à lacrymis non abstinentibus. Gratulor tibi de absoluta Catechesi. Ego eam jam tracto in privato collegio copiose. Auditores cogunt me summa rerum dictare. Non male loqueris de Dilectione Dei. Sed observatu dignum est, amorem Dei variare et respectu diverso ad ea, quae in Deo sunt, nempe Excellentia, Dominium, Bonitas, Beneficium, Sustentatio, Judicium, quodque is sanctus noster est et bonum. Denique justitia nostra, et pater. Si enim ad ea distincte referatur Amor, denominatione alia atque aliam accipit, qualis est honor, timor, desiderium, fiducia, &c. Amor ipse est officium, zelus, debitum, cultus. Sed est et officium praeter amorem Dei: nempe amor proximi, f et membrorum usus ad omnia, quae dilectio Dei et proximi imperat. Verum est, quod amare Deum comprehendit id omne quod significatur per ex toto corde. Non potest diligi si non ex toto corde est. Sed videmur nobis diligere, quando ore assentamur, aut membris aliquid facimus non ex amore Dei, quod amor Dei imperat. A tali amore speciosa illa addita verum amorem separant. Credo, te etiam observasse, quod id verbum, si referatur ad Amorem Dei velut creatoris, obedientiam legis significet: sin vero referatur ad amorem Jehovae Dei nostri, quod significat fidem et resipiscentiam sinceram et anxiam. In Locis Communibus jam tracto locum 18. In eo omnis mea Exegesis reperietur. Hundius approbat prolixitatem: sed veretur, ne desideretur compendium. Ego vellem, me ad finem pervenisse. Multum temporis insumo ei scriptioni. Sed bene, si quid erit ad simplicitatem religionis Christianae. Mediocriter valemus. Cupimus vos recte valere. Ad Hermannum mittam literas tuas, quae sine dubio erunt gratae. Lugduni d. 6. Octobr. 1661.

Tui diligentissimus

Joh. Cocc.

6. pagina

fol. 726.

f Amor proximi est effectus amoris Dei, et amor gloriae Dei in proximo manifestandae et donorum, quae accepit proximus. Utrisque amoris Dei exercitium est.

uit te laeten.

Reverendo et Doctis-
simo viro D. Guili-
elmo Anslario
V. D. M.
Bieselingam.
Middelburch ten huyse
van M. H. Jacobus Anslaar
bedienaer des H. Evan-
gelions. M16
Met een pacquet.
IC